

P V I S

1 6 1 8



- I. Philastrii Catalogus Hæresium.
- II. D. Honorii de Hæresibus.
- III. D. Bugensæii distributio Methodica Historiæ passionis Christi.
- IV. D. Garzæi Tractatus Concionum Penitentiarum.
- V. D. Garzæi Delineatio Concionum Penitentiarum.
- VI. Basilii Magni Oratio ad Adolescentes.
- VII. Intimatio Jubilæi Evangelici.
- VIII. Theologorum Saxoniarum Epistola Invitatoria ad universos Theologos.
- IX. D. Bergii Professoris Francofurtensis Disputatio Theologica.
- X. M. Sachsii Disputatio adversus Meijnerum.
- XI. Montani Virga in Bermanum et Ungernium.
- XII. D. Pelargi Responsum ad Epistolam Schlusenburgii et Cramerii.
- XIII. D. Pelargi Responsoria ad Apostolica duo brevvia Schlusenburgii et Cramerii.
- XIV. Golemi Disputatio de Abstracto et Concreto.
- XV. Pelargi Disputatio de Assumptione Christi.
- XVI. M. Wolgangi Theses de Justitia et Justificatione.
- XVII. D. Fusseli Disputatio de Deo.
- XVIII. M. Theopoldi Disputatio ex Dialocho Theodoret. Secundo.
- XIX. de Deo.
- XX. de Peccato.
- XXI. de tria. in Conversione Homini Concurrentia.
- XXII. de Justificatione.
- XXIII. de Bonis Operibus.
- XXIV. de Ecclesia.

Maa 15.

DISPUTATIO SCHOLASTICA

De

ABSTRACTO ET CONCRETO

& hac maximè controversa quaestione

*An Essentiales τῆς λόγου Dei proprietates, realiter Humanae
à Christo assumptæ naturæ in sese
sint Communicatæ?*

Cujus theses cum Additamentis nonnullis de
Cœna Domini

Veritatis vindicandæ & confirmandæ gratia

SUB PRÆSIDIO

Celeberrimi & Spectabilis Viri

DN. RODOLPHI

GOELENII IN INCLYTA

MARPURGENSI ACADEMIA

Professoris Publici & pro tempore

Decani.

*Publice Examinandas & discutiendas proponit in au-
ditorio Philosophico Academiæ Marpurgensis.*

BERNHARDUS MATTHÆUS

Marpurgensis A. & R.

MARPURGI CATTORVM

Ex officina Rudolphi Hutwelckeri.

Anno M. DC VII.

Dno Casp. Godefr.





I.

DE REALI PROPRIETATVM DIVINÆ
in Christo naturæ in humanam ejusdem naturam
communicatione.



I.

Vtilissima est commonefactio Aristote-
lis in Organo, ei, qui inveniendæ vel il-
lustrandæ Veritatis gratia disputat,
quasi scopulos declinandam esse ver-
borum ambiguitatē seu multiplicita-
tem, quòd nullus sit frequentior sophistis locus, &
magna hinc pars errorum in omni disciplina existat.

2. Disputaturis igitur *contra Realem Proprietatum
divinæ in Christo naturæ, in humanam ejusdem naturam
communicationem*: illud cum primis necessarium puta-
mus, ut discussa terminorum, quibus quæstio con-
stat, homonymia, & rei ipsius diversa consideratio-
ne explicata, quo sensu intelligenda sit quæstio, re-
ctè cognoscatur, ne locus relinquatur Sophisticae, &
ita in cassum disputemus.

3. Sunt autem tria nobis excutienda. I. Verbū
communicandi. II. Proprietates quæ dicuntur cō-
municari. III. Et id Cui communicari dicuntur,
nomen sc. Humanæ naturæ in Christo.

4. Verbum comunicandi, hic nobis significat,
quod est uni proprium, alteri facere commune.

5. Hoc autem fieri potest, aut propriè aut impro-
priè.

6. Propriè, aut re ipsa, aut nomine tenus sed tamen
suo modo verè

7.

7. Realiter fit alicuius rei communicatio bifariam: nempe aut ex parte, aut in totum.

8. Ex parte itidem dupliciter: aut quoad effecta & per effectorum communicationem.

9. Sic entia omnia, omniaq; bona, communicatione primi entis & primi boni participatione, dicuntur esse entia & bona, & sic effecta maiestatis & omnipotentiae, carni Christi realiter communicata sunt.

10. Aut quoad ipsius rei substantiam, & effectorum illorum efficientem causam: Ut Ex. causa: Si divides fundum, & una parte tibi servata alteram partem alteri communicates: Et hoc sane modo maiestas divina communicari non potuit, nec potest cuiquam, quia impartibilis est, quare si communicatur, tota simul communicetur necesse est.

11. In totum porro aliquid realiter communicari dicitur, cum res ipsa tota alteri fit revera communis: Sic quivis pater filio in hujus generatione, totam communicat essentiam & naturam, ut non minus hic, quam ille sit species synonyma; Sic subsistentia verbi divini, communicatur naturae humanae, ut haec per illam subsistat.

12. Communicatio nominatenus fit, cum nomen rei praedicatae subiecto tribuitur: Ut cum Magistri coniux dicitur Magistra licet neq; *δύναμιν* neq; *ἐξουσίαν* Magistri habeat.

13. Improperie virtus alicuius alii communicari dicitur: cum quis exerit seu exercet vim suam per aliud: Sic lingua Johannis dicitur sapiens, manus ingeniosa.

14. Quare impropria est illa verbi communicandi significatio, quâ aiunt: Deum suam omnipotentiam communicare carni Christi hoc sensu, quod illa

maiestas in carne resuceat, inq; ea, & cum ea, & per eam
operetur.

15. Et hæc de notione & multiplicitate verbi com-
municandi: Et quonam sensu accipiatur in hac præ-
senti quæstione, ex iis quæ dicta sunt facillime cuius
liquere potest.

16. II. Quod vero attinet ad ea de quorum com-
municatione quæritur: Proprietatum aliæ sunt essen-
tiales sine quibus essentia rei consistere non potest, &
quæ propterea *ουσιαστικά τῆς φύσεως* vocantur, ac proinde
quæ etiam ab ipsa essentia separari & sine illa com-
municari non possunt. Aliæ sunt personales, sed de
quibus nulla plane est controversia, cum omnes, illas
incommunicabiles esse fateantur.

17. Quæstio igitur hic est: De Reali communica-
tione essentialium Dei proprietatum, uti est: increata
& infinita potentia, increata & infinita sapientia, bo-
nitas, &c. Non autem de potentia & sapientia quan-
tumvis maxima, sed tamen creata, sunt enim hæc non
essentialia Dei attributa, sed illorum similia effecta.

18. Talia realiter communicata esse humanæ na-
turæ in Christo in confesso est, sed de prioribus & ve-
ris attributis quæstio est.

19. III. De eo, CUI: Sic statuendum est: Dum
in Christo duo considerentur, Persona filii quæ dua-
bus constat naturis, & naturæ ipsæ quibus constat,
Quæstio non est hic de Persona, An ei sint communi-
cata proprietates, certum enim est, humanam natu-
ram communicare personæ quæ est filius Dei, & divi-
nam naturam communicare personæ, quæ est Filius
Mariæ, & quod accidit huic, qui est filius Dei, rectè di-
ci accidisse filio virginis & vicissim, sed de natura hu-
mana

mana instituta est disputatio An ei sint comunicatæ
seu participatæ.

20. Cæterum quia hæc natura bifariam confi-
derari potest, aut in abstracto & nomine abstractivo: ut
cùm dico naturam humanam, aut concretivo, ut hic
homo vel Christus homo, idcirco notandum est non
esse hic quæstionem de natura humana quatenus con-
cretivo nomine enunciatur, quia hoc modo ipsa perso-
na semper denotatur, de qua nulla est controversia, sed
de natura humana καθ' ἑαυτήν, etiamsi nunquã separetur
à verbo seu sapientia patris, sed tantum distinguatur.

21. Tenemus in qua significatione & sensu usur-
petur verbum comunicandi; Nomen item proprie-
tatum divinarum, quæ dicuntur comunicari, & no-
men humanæ naturæ cui dicuntur comunicari, illis
enim tribus dictionibus constat propositio quæstionis
nostræ: An divinæ proprietates essentielles communi-
centur realiter humanæ naturæ Christi?

22. Adiecitur particulam realiter, ut rei verita-
tem significemus.

23. Adjecimus etiam nomen essentielles, ut di-
stinguamus à personalibus. De his enim nulla plane hic
est controversia, cum omnes omnino illas incommu-
nicabiles esse fateantur.

24. Status igitur controversiæ hic est: Utrum es-
senciales τῶ λόγῳ Dei proprietates, realiter humanæ à
Christo assumptæ naturæ in ipsamet sint comunica-
tæ: Ita ut propriè eadem increata & infinita omnipotē-
tia, increata & infinita omniscientia, increata & infinita
sapientia &c quã etiam λόγῳ seu Christus ipse potens,
omniscius, ac sapiens est, omnipotens; omniscia, & sapi-
ens sit. Ἀντιμαχοῖ seu Adversarii Affir. Nos Negamus.

25. Quibus autem testimoniis & argumentis probent in ipsa disputatione videbimus: Illi certe suam assertionem ita probare conantur, ut nobis interim talia principia dent quibus tota eorum doctrina de reali communicatione idiomatum funditus evertitur:

26. Quorum I. hoc est: Quod talis est communicatio idiomatum qualis est unio: & hoc est apud omnes orthodoxos patres certissimum: jam assumo: Naturæ duæ ita unitæ sunt in Christo ut tamen altera de altera in abstracto non prædicetur, quia divina nunquam fit humana realiter & essentialiter, nec humana divina. Ergo nec naturarum proprietates inter se realiter permutantur, ita ut humana natura possit dici omnipotens, omnisca, omnipræsens &c.

27. II. Admittunt item hoc: unionem hypostaticam fieri servatis naturarum proprietatibus: Quomodo autem servatur utriusque naturæ proprietas, cum unius naturæ proprietas, alteri naturæ realiter communicatur, nam obsecro quid est proprietas? quid est servari? quomodo servatur & manet proprium id quod fit commune?

28: III. Concedunt item naturas & proprietates naturarum realiter distinctas esse: Quomodo autem manebit distinctio, si realis in ipsismet naturis est communicatio idiomatum? Repugnat quippe e diametro distinctioni naturarum, & inducit confusionem. Nam ut realiter differunt naturæ, quæ proprietates realiter distinctas habent, ita confunduntur quæ proprietates realiter communes habent.

29. IV. Admittunt cum Damasceno: Unam & eandem naturam non posse contrariarum, & inter se pugnantiū qualitatum *δεν τινὴν εἶναι* ut quod sit finita & infini-

infinite, creata & increata, in se visibilis & invisibilis :
Quomodo igitur dici potest proprietates divinas com-
municatas esse humanæ, quin aut hæc intolerabilis
absurditas & contradictio consequatur, aut naturam
humanam propriis spoliis proprietatibus, quod nihil
aliud est quam negare veritatem humanæ naturæ in
Christo.

30. V. Concedunt etiam: Humanam naturam
non esse æqualem Deitati, sed si omnes proprietates
Dei essentielles sunt communicatæ humanæ naturæ,
quomodo non erit æqualis? naturam quippe omni-
præsentem, omnipræsentem, & omnipotentem, omnipo-
tenti, æqualem esse necesse est. Non enim potest infi-
nitum infinito maius aut minus, nec omnipotens om-
nipotenti esse potentius aut impotentius.

31. VI. Damnant cum Synodo sexta Monothe-
letas: quod unam & eandem in utraq; natura volun-
tatem, sapientiam, unam & eandem operationem esse
dixerint. Quomodo igitur talis, qualem statuunt,
proprietatum divinarum, in humanam naturam colla-
tio admitti ab illis potest; quin hæresis Monotheleta-
rum revocetur. Quomodo ergo probant quod dam-
nant, & damnant quod probant.

32. VII. Confitentur cum scripturis: Christum
verè finitum, infirmum, & mortuum esse, at si per rea-
lem idiomatum communicationem realiter infinita
viva, & omnipotens fuit humana natura, quomodo si-
mul realiter finita, infirma, & mortua fuit aut esse po-
tuit.

33. VIII. Concedunt item essentielles Dei pro-
prietates, reapse idem esse quod essentia atq; natura
Quomodo igitur communicari possunt proprietates
quin

quin *ἑαυτῆ* etiam communicetur, atq; ita quomodo poterit dici humana natura omniscia & omnipotens, quin eadem realiter possit vocari Deus. Sed de hisce in ipsa Disputatione plura.

34. Hæc pauca tantum ceu velitando præmittere volumus, ut quàm absurda & inconstans sit doctrina Adversariorum de Reali idiomatum communicatione, aliquo modo præmonstraremus.

35. Nunc vero justam pugnam suscipiamus & Negativam nostram ex omni parte, contra Adversariorum Strophas & Sophismata muniamus.

Argumentum primum hoc esto.

36. I. Si realis est communicatio proprietatum, & *ἁπλῶς* realiter communicat suas proprietates humanæ naturæ: Ergo humana natura realiter est Deus. Consequens est absurdum ergo & antecedens.

Consequentiam sic demonstro: Cui tribuitur proprium quod uni soli essentiæ convenit, huic etiam essentiæ tribui necesse est. *Φανερόν*. Sed esse omnipotentem, omnipræsentem, omniscium &c. solius essentiæ divinæ proprietates sunt. Ergo hæ proprietates assumptæ humanitati tribui non possunt, quin ipsa etiam essentia divina ei tribuatur, id est, quin in divinam naturam conversa esse statuatur.

37. Respondent I. Adversarij tum quidem hoc sequi, Si humanæ naturæ essentialiter & *ἑσσιδῶς* communicatæ essent proprietates divinæ naturæ: at hoc modo non esse communicatas sed tantum *καθ' ἐνωσιν* & secundum unionem hypostaticam, ideoq; consequentiam nullam plane esse in hoc argumento.

38. Quæ Responsio ut omnibus clarior fiat

at

at, placet eam proponere syllogisticè. Sic argu-
rantur: Quicquid non per essentialis suæ propieta-
tem omnipotens, omnipræsens, & omniscium est, sed
tantum personali *κοινωνία* omnipræsentiā; omnipoten-
tiam, & omniscientiam *ἔλγυ* participat, id non est De-
us. Humana Christi natura non est per essentialis suæ
proprietatem omnipotens, omnipræsens, omniscia, sed
tantum propter unionem personalem, Quare non est
realiter Deus.

39 Respondeo, Si hæc Adversariae partis Propo-
silio vera est: Humana in Christo natura habet quidem
realiter essentialis Dei proprietates, sed propterea ta-
men non est verus & æternus Deus, recte etiam Arri-
anus dicet: etiam si *ἔλγυ* habeat realiter divinas propri-
etates, propterea tamen non est æternus Deus. At non
hoc: Syllogismus igitur noster approbandus.

40. Neq; licebit hic inter propriam & alienam
virtutem distinguere, vel inter naturalia & gratuita seu
ascititia. Eadem enim & Arriani pro se uti possent:
Nempe in Christo non esse naturalem sed *ἰπικτιῶ* & cre-
atam divinitatem, id est, eum non natura, sed ex dono
patris gratuito illam gloriæ & majestatis æqualitatem
obtinere.

41 II. In Assumptione petitur id de quo in prin-
cipio, Nam de hoc quæritur: An humana Christi na-
tura vi unionis hypostaticæ habeat omnipotentiam, o-
mniscientiam, omnipræsentiā, &c.

42. Respondent 2. Ex summa verò desperatione:
Sicut humana natura est vivifica, licet non sit realiter
Deus, ita reliquas quoq; essentialis Dei proprietates
participat, etiam si non sit Deus, & hoc figmentum mi-
rificè illis placet.

B

43 Sed

43. Sed nullius prorsus momenti. Neq; enim caro Christi per realem communicationem *ιδιομάτων* vivifica dicitur, sicut reliquæ proprietates statuuntur ab adversarijs communicatæ humanitati, sed ratione meriti per opus redemptionis acquisiti.

44. Nam si humana natura esset vivifica per realem communicationem essentialis vitæ Dei, sequeretur Christum frustra mortuum esse, potuisset enim homines vivificare divina Majestate per realem communicationem accepta juxta adversarios: Atqui Christus non frustra mortuus est, sed ut sua passione & morte nos vivificaret ad vitam æternam. Ergo humana Christi natura non est vivifica per realem communicationem essentialis vitæ Dei, quod tamen erat demonstrandum.

45. Sed adducamus etiam ad incommodum: Quorum *ἐνέργεια* una (sicut & virtus) horum omnino etiam natura est eadem. Nissenus & Damascenus: *τῆ λόγῃ* & carnis assumptæ eadem est *ἐνέργεια* nempe vivificatio: Adversarius: Ergò *λόγῃ* & carnis assumptæ eadem est natura. Sed absurda conclusio: Falsa igitur una è præmissis unde confecta est, sed non falsa major quæ Patrum est. Ergo minor quæ est Adversarij.

46. II. Arg. Si omnes divinitatis proprietates sunt in assumptam humanitatem realiter collatæ, consequitur humanæ naturæ competere ex dono quicquid est divinæ ex se proprium, ac proinde etiam æternitatem & immensitatem fuisse communicatam. Posterius est absurdum ex ipsa etiam Adversariorum confessione: Ergo & prius eorum dogma absurdum & falsum sit oportet, aut ostendant isti cur sit absurdus.

uis dicere, Christum secundum utramq; naturam esse ubiq; totum & integrum in singulis locis, manente interim finita humanitate. Non enim minus incommunicabilis est proprietates omnipræsentia quam æternitas.

47. Respondent 1. se cum Scriptura loqui quæ humanæ naturæ non tribuit æternitatem: At nos vicissim ab ipsis petimus ut nobis demonstrent, ubi Scriptura humanæ naturæ tribuat omniscientiam, omnipotentiam, omnipræsentiam. &c.

48. 2. Quidam ex Adversarijs sic excipiunt: Humanam naturam non dici æternam cum tamen dicatur omnipræfens, omniscia, omnipotens, quia incarnatio facta est in tempore non ab æterno.

49. Respo. 1. Non tempus sed unio personalis causa est prædicationum de Christo: Nam ideo hic homo dicitur æternus, quia per unionem personalem habet naturam æternam. 2. Si ideo humana natura non est æterna, quia incarnatio facta est in tempore, nec Christus homo dicendus esset æternus quod tamen Adversarij ut absurdum rejiciunt.

50. 3. Arg. Si realis est communicatio proprietatum, & ea fit (ut isti volunt) vi unionis hypostaticæ, Ergo humana natura suas etiam proprietates communicabit Deitati, Posterius est absurdum Ergo & prius. Consequentia patet: quia non minus realiter unitur humana natura Deitati, quam Deitas humanitati.

51. Sed Excipiunt *ἀντιλέγοντες*, ingens discrimen esse hoc loco, quia divina natura assumerit humanam, humana non assumerit divinam sed assumpta sit: item quia humanitati accedere aliquid possit, divinæ non possit.

52. Respo. Nihil eos proficere hac distinctione:
Etsi enim humana natura non assumfit, sed assumpta est
à persona filij Dei, eadem tamen utrobique est ratio u-
nionis personalis, ita ut mediante hac persona, divina
natura humanæ, & vicissim humana divinæ unita sit, &
ut Deus sit ac dicatur, Sicut homo est & dicitur, & ut
omnia divina de hoc homine seu filio hominis dicantur,
sicut omnia humana de Deo seu Filio Dei dicuntur.

53. 2. Etsi humanitati plurimum accessit & ac-
cedere potest, probandum tamen est, num realiter ali-
qua divinitatis proprietas essentialis ei sit collata: hoc
ipsum enim est de quo disceptatur, unde pro confesso
assumi non potest.

54. 4 Arg. Proprietates, seu ut loquuntur Scho-
lastici propria quarto modo, non communicantur al-
teri naturæ re ipsa, Sed esse omnipotentem, omnipræ-
sentem, omniscium, divinæ naturæ idiomata sunt, seu
propria quarto modo, quæ in ipsa etiam unione per-
petuò retinet sibi divinitas, & secundum hæc ab huma-
nitate distinguitur. Ergo hæc proprietates assumptæ
humanitati, ut ἐτερογενεῖ id est diversæ speciei non com-
municantur realiter.

Propositio patet ex definitione proprii, ἰδιωτα enim
simul atq; commune evaserit, ἰδιωτα id est, unius
solum proprium esse desinat oportet: Nam quomodo
fuerit singulorum proprium, quod factum est commu-
ne pluribus. Assumptio est manifestæ veritatis.

55. Sed enim excipiunt, ut non pugnare hoc in-
ter se ostendant Adversarij: Essentiales divinæ natu-
ræ proprietates, humanæ naturæ realiter esse com-
municatas, non ut sint in ipsa aut essentialiter, & for-
maliter, aut subjectivè, & habitualiter, sed ratione tan-
tuna

ium & respectu unionis hypostaticæ (Sic enim loquuntur obscure fane & ambiguè cum clarius possent & deberent.)

§6. Resp. Si hæc non alio sensu intelligunt, quam quo Vigilus scriptum reliquit, & sensit, nimirum proprietates naturarum Christo ipsi factas esse proprias, naturis autem inter se, non in ipsis, sed in Christo, hoc est in persona communes, tum certè nos non contradixerimus, nec putamus etiam quenquam contradicturum: Vigilus enim secundum doctrinam Catholicæ Ecclesiæ, ex concilio Chalcedonensi loquens, eodem plane sensu explicavit, proprietates humanæ naturæ communes factas esse divinæ, quo etiam quæ sunt divinæ communicatæ esse dicuntur humanæ: Atqui humanitatis proprietates, puta pati, mori, ita communicatæ sunt Deitati, ut non propterea tamen Deitas ipsa facta sit reapse passibilis, mortalis, cujus rei causa à Vigilio affertur, quia nimirum pati & mori non nisi in persona facta sunt Deitati communia, ita ut hæc non possint nisi de humana natura per se, & de persona secundum & propter humanam verè naturam prædicari, ergo idè de communicatione divinarum proprietatum sentiendum & dicendum omnino fuerit. Vigilij verba hic recensere nimis longum foret, extant illa lib. 5. cap. 2. Si, inquam, ita intelligerent, & verum dicerent, & toti piæ ac eruditæ vetustati assentirentur, & nos facile illis subscriberemus, sed aliud plane sentiunt, volunt enim, ipsi etiam humanæ naturæ in se, propter unionem hypostaticam, communicatas esse proprietates divinæ naturæ, quod tamè ex illa nunquam evinci poterit, imò è diametro cum ipsa pugnat, ut demonstratum est Th. 27. 28.

57. V. Arg. Longe major & arctior est unio trium personarum in una essentia, quam duarum naturarum in una persona: Atqui illa unio non efficit ut proprietates personales unius personæ, puta patris, communicentur alteri, puta filio, alioqui filius foret pater: Ergo multo minus hæc altera unio efficere potest, ut essentielles proprietates unius naturæ realiter alteri communicentur, fieret enim divina humana, si humanis realiter participaret, & humana divina, si divinis.

58. Nullane igitur proprietatum utrarumq; est communicatio? Id Adversarij nostris quidem impingunt, sed falso.

59. Rejicimus sane idiomatum seu proprietatum communicationem realem qualem ipsi somniant, quâ Christi humana natura dicatur & credatur omnipotens, omniscia, ubique præsens: at proprietatum communionem ejusmodi, qualem unio naturarum quæ illius fundamentum est, exigit, fidei mente amplectimur.

60. Unionem istam exprimentes, non dicimus humanitas Deus est, aut Deitas homo, vel Deitas humanitas est, aut humanitas Deitas, sed de homine Christo verè & realiter dicimus, Homo est Deus, & Deus est homo.

61. Similiter naturæ sibi communicant idiomata in persona, teste Theodoreto Dial. 2. Cum de naturis loquimur, suum cuiq; tribuamus, inquit, cum autem de persona verba facimus, communicanda sunt naturarum propria, & hæc atq; illa servatori tribuenda sunt. Et Dial. 3. κοινὰ τῶν θεσάπτει γέγονε τῶν φύσεων ἰδίαι.

62. Sicut cum de homine loquimur tribuimus
illi

illi & corporis & animæ propria. Et hæc enim, & illa
congruunt, licet non secundum idem.

63. Quod de proprietatibus adhuc dictum, de
operationibus similiter verum est; personæ Christi ab
hac vel illa natura denominatæ, (puta Dei vel hominis
appellatione) utriusque naturæ operationes omnes
communicari & competere realissime.

64. Quod ajunt nonnulli, Christum omnia ope-
ra divina, per humanam naturam tanquam per instru-
mentum efficere, sicut anima actiones suas omnes per
corpus exsequatur; imperitè & falso utrumq; dicitur.

II.

De

ABSTRACTO ET CONCRETO.

I.

IN Disputationibus cum humanæ tum divinæ sapien-
tiæ, explicatio, distinctio, veraq; intelligentia Ab-
stracti & Concreti pernecessaria est.

2. In Philosophia concretum dicitur res una
composita è pluribus.

3. Sive sit unum simpliciter ac per se, ut res natu-
ralis quæ coaluit è materia & forma, sive compositum
unum ex subiecto & accidente, ut sunt Simum, album,
Aristoteles appellat *συνδεδιασμένα*.

4. Abstractum vero dicitur res, vel Ratione hoc
est cogitatione secreta: Sic conjunctorum unum ab al-
tero (mente) abstrahi dicitur: Sic secundo Physic. di-
citur, Non esse mendacium abstrahentium, id est u-
num sine altero considerantium. Sic Petrus Ramus
lib. 2. Schol. Mathe. facit *ἀφαίρεσιν* id est abstractionem.

COM

communem artium omnium, in quibus generalia tantum documenta est singularibus exemplis inducta & abstracta proponuntur. Physica dicitur versari in rebus concretis, quae *ἐν ὑλικῷ* suum habet in materia, seu contemplari ac definire res *ἐν τῷ δευτέρῳ*, Mathematica in rebus abstractis, h. e. materia denudatis, seu *θεωρεῖν* res *ἐν ἀφαιρέσει*. Qui duo considerandi modi sunt unius ejusdemque rei, vide 2. Phys. cap. 2. Vel Reipsa à materiae concretionem abjecta, ut Deus.

5. In Logicis & Disputatione Scholasticorum *ὄνομα* de *θεωρητικῷ*, concretum praecise seu formaliter est nomen, vel substantivum, significativum subjecti seu suppositi habentis formam. Ut Jesus, Homo, Deus. vel adjectivum, involvens ipsum subjectum: ut album, sapiens, omnipotens, oculatum, lapideum.

6. Hinc fiunt attributiones 1. à materia, de rebus tum materialibus, ut os est terreum, tum artificiosis, ut hoc poculum est aureum, 2: à partibus, Hoc animal est oculatum, 3. ab accidente tum interno, ut hic homo est doctus, tum externo, ut hic miles est loratus.

7. Vox abstractiva seu abstractum, est vox proprie significans formam ipsam suppositi, ut caro, sanguis, Humanitas, Deitas, Omnipotentia, sapientia, albedo, terra, lapis, oculus.

8. Nomen igitur personae est concretum, nomen naturae abstractum.

9. In Petri Rami Logica pertinent ad classem conjugatorum, abstractum habet seu induit rationem principij (unde principale nomen dicitur) concretum autem principij dependentis: In Aristotelis Organo nomen habet Paronymi.

10. Ita-

10. Ita ergo, creatio Redemptio, & similes actiones dicuntur abstracta: Creator Redemptor & similia nomina officij vocantur concreta. Inhæreere Effectus formalis inhærentiæ dicitur Concretum: inhærentia, abstractum: Subsistere seu subsistens, concretum, subsistentia, abstractum.

11. Ita locutiones concretivæ sunt, Filius hominis est Deus, descendit de cælo Ioh. 3. Filius Dei est filius hominis, Deus habet sanguinem, corpus & animam, humeros: intellige per assumptionem non per informationem, Deus vagijit in cunis, Filius Mariæ est omnipotens, idemq; in terra loquens cum Nicodemo est in cælo: intellige per reciprocam *ἰδιωμαίων κοινότητα.*

12. Has approbant synodales nostri recessus, pro quibus propugnat illustrissimus Hassiæ princeps Mauritius, Christiano zelo, quia sunt sacrae scripturæ consentaneæ, quia uniq; hypostatica fit in persona, & natura suas proprietates communicat personæ.

13. Contra abstractivæ locutiones sunt: *Ex toto:* Deitas Christi est humanitas, Humanitas Christi est Deitas: *Ex parte subjecti:* humana natura Christi descendit de cælo, est Deus, Deitas moritur, humanitas Christi est omnipotens & ubiq;. *Ex parte predicati:* Dei filius est corpus & anima. Has synodici recessus improbant, quia destituuntur testimonijs scripturæ & important confusionem vel everfionem naturarum.

14. Sunt & hæ locutiones abstractivæ: corpus Domini pro nobis fractum est, caro Christi pro mundi vita data est, sanguis filij Dei emundat nos ab omni peccato. Has synodici recessus non rejiciunt, quia sacrarum literarum nituntur autoritate, & attributa earum sunt partim singulariter divina, partim personalia

C

seu

ἵετι δὲ αὐτῶν δεικῶν, ideoq; ad tropum ἀντιδόσεως seu mutuam
prædicationem, quæ κοινωνία ἰδιωμάτων à veteribus dicta
est, quam sæpe laudati recessus urgent, non pertinent.

COROLLARIA.

Non igitur aures patefacienda sunt novatoribus I.
Quibus abstractum hic idem est quod distractum, vel
non unitum, concretum contra, unitum; ut cum dicunt, cor-
pus non est adorandum in abstracto, non est omnipotens in
abstracto, hoc est (ipsis) non unitum, ἀ λόγῳ separatum, seu
extra unionem: At humana natura est adoranda in concre-
to, est omnipotens in concreto, hoc est (ipsis) verbo personali-
ter unita Αὐτοῖς inquam ἀπέσκει πλάσματι λόγος.

Primò novatio hæc est, remota à sensu sermonis Docto-
rum Ecclesiæ, qui superioribus seculis claruerunt, & sophisti-
ca, nomina cum rebus confundens, vel voces in res transfor-
mans. Deinde est vagatio extra oleas: Quid enim attinet
hic propositiones facere de non unito τῷ λόγῳ corpore, cum tale
nec sit, nec fuerit, nec futurum sit in rerum natura, neq; in
cælo neq; in terra.

2. Non audiendi: qui volunt, cum dicitur hic homo est
Deus, ἢ hic homo significatione abstractum esse, id est signi-
ficare tantum humanam Christi naturam, & statuunt i-
dem Hominem Christum & humanam Christi naturam, ho-
mines de schola Svenckfeldij, concreti & abstracti synchytæ;
Istis opponendum hoc: Filius Dei propriè naturam, humani-
tatem, non personam, hominem assumpsit, & homo Chri-
stus omnia creavit, humanitas Christi nihil creavit: disse-
runt igitur homo Christus & humanitas Christi.

3. Est & repertus qui diceret, voces concreti & abstra-
cti esse inventum Diaboli: cui rectè oppositum est illud Lu-
theri: Rectè divinitus factum est in Grammatica, ut vocabula
quædam dicantur concreta quædam abstracta. In Gram-
matica

matica ait: quia multi $\chi\alpha\epsilon\iota\sigma\tau\iota\varsigma$ distinguunt inter paronymum Grammaticum & Dialecticum, Schegk in comm: in praedicam. pag. 440. Flacius lib. 2. logica generalis cap. 3. Iacobus Gorsch. in Topic: ut Homo est $\pi\alpha\rho\epsilon\iota\sigma\tau\iota\varsigma$ Carnis logicè, non Grammaticè, etsi nonnunquam caro pro homine ponatur $\epsilon\mu\Phi\acute{\alpha}\sigma\tau\epsilon\omega\varsigma$ $\epsilon\iota\tau\epsilon\alpha$. Hæc permutatio Metalepsis dicitur: Sic semen mulieris conteret caput serpentis id est genitus è semine.

Est & iniqua cuiusdam censura Determinationis Theodoretæ hæc: Hæc impropria & nunquam ferenda phrasîs in Dialogis Theodoretæ aliquoties extat: In quantum Deus non fuit obnoxius passioni. Et: quatenus Deus impatibilis est Christus. Hoc inquam iudicium est minimè sobrium & cordatum. In Quantum enim hic nihil aliud est quam secundum Quod, $\kappa\alpha\iota$ δ , $\epsilon\iota\varsigma$, opponitur $\kappa\alpha\iota$ $\delta\iota\delta\omicron$, secundum aliud. Deus mortuus est $\kappa\alpha\iota$ $\delta\iota\delta\omicron$ nempe ratione humanitatis, ut Filius Mariae est omnipotens $\kappa\alpha\iota$ $\delta\iota\delta\omicron$, nempe ratione Deitatis seu majestatis divinae.

In determinationibus congruentes adhibenda sunt particulae quæ non pariant errorem. Rejicienda igitur est hæc: Deus passus est vulnera & mortem per carnem. Recte Athanasius: Quæ humana natura passa est, ea sibi verbum accommodavit, seu ad se retulit. Passus igitur est δ $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ seu Filius Dei, quia proprium corpus, in quo erat, patiebatur. Nam abstractiva voce significatur subjectum inhesionis seu Quo, seu Medium recipiendi, Humana natura. Concretiva vero voce subjectum Denominationis seu Quod, Persona Verbi seu Filij Dei significatur. Itaq; cum Ambrosius ait: caro passa est, minimè omnium vult hoc, Deum passum non esse, sed, quod continè subjicit, Divinitatem à morte immunem esse. Non enim hic abstractum concreto, id est, natura personæ, sed abstractum seu discretum abstracto, id est, natura natura, opponi debet.

C a

Ad

Ad extremum repudianda est ista: Filius Dei est sanguis meus: vigore canonis: Partes Physicæ & integrantes naturæ humanæ non prædicantur abstractivè de Filio Dei, unionis gratia. Suarez.

Additamentum.

De Forma Actus Eucharistici Composita.

Vera perfectaq; celebranda cœnæ Dominicæ forma necesse est ut habeat partes.

Forma illa non tantum in manducatione & bibitione consistit, sed etiam in benedictione panis & vini, invocato Dei nomine, & Christi ἀνάμνησις fidei gratiq;

Neq; vero flagro digna est sententia, Formam nunquam habere partes, quibus integretur, sed contraria potius. Laudo hic authores D. D. Scholasticos Fr. Suarez, Collegium Connimbricense, P. Ramum, Scaligerum, qui asserunt, partim, Actum studiosum prudentiæ formari consultando & inquirendo media, judicando, imperando executionem judicatorum. Actum fortitudinis formaliter esse & aggredi & sustinere: partim, belli formam partiatim constitui, id est partialibus actionibus. Et rectam rationem & finem formare nostræ actionis bonitatem, etsi ad essentiam boni actus forma sit potior: Partim, Cœnæ Domini (quæ: ut actio consideratur) formam seu essentiam ex partialibus actionibus constitui.

Ανάμνησις igitur illa Christi, ut & elementorum εὐλογία, non est celebranda Cœnæ pars essentialis sed pars essentiæ. Prius Probo.

Partes Essentiales sunt materia & forma: Ανάμνησις Christi nec forma nec materia cœnæ est Ergo non est pars essentialis. Probo & posterius.

Si tota actio Sacramenti est tota essentia Sacramenti; ut certè est, sacramenta enim formaliter actiones sunt, Ergo pars actionis erit pars essentiæ. Est autem ἀνάμνησις (sicut & benedictio elementorum) pars actionis. Ergo est pars essentiæ: & ex consequenti essentiæ pars integralis. Itaq; necessaria.

Errata Typographica benevolus lector sic emēdet.


T Hesi 9 lege: re ipsa seu realiter. thes. 19 lege Cum pro Dum thes. 33. lege natura divina. thes. 37. lege ἁπλοῦς thes. 45. lege adducamus Adversarium. thes. 46. lege secundum utramq; naturam esse sine principio & fine, quàm secundum utramq; naturam esse ubiq; &c. thes. 52. l. 6. lege. ut persona Deus sit. thes. 3. lege συνδεδυασμένα thes. 4. lege ἐκ τῶν θεῶν thes. 5. lege θεῶν θεῶν thes. 9. l. 4. lege pro principij à principio.


Jh 4245



X 22MA38

VD 17 AC





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

15

OLASTICA
 ONCRETO
 a quaestione
 tes, realiter Humanæ
 in sese
 tis nonnullis de
 rmanda gratia
 10
 lis Viri

OLPHI
 INCLYTA
 CADEMIA
 o tempore

ndas proponit in au-
 nie Marpurgensis.

THAEUS
 . & R.
 O RVM
 utwelckeri.
 VII.

Cassaro Goot

